

Rme atque Ill/me D'ne

Nuper hic incerto auctore vulgatus fuit rumor R/mam atque Ill/mam Celsitudinem Vestram jam exuto corpore quievisse à laboribus suis; quod ut mihi gratulandi praebebat occasionem pro sancte acta et consummata vita ac reposita justitiae corona; ita dum Ill/mae Celsitudinis Vrae me praesidiis destitutum viderem, non mediocrem mihi moeroris luctusque causam datam vidi. Incidit eodem pene tempore in manus meas, quem voluit foetum suum esse novissimum de ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum, quasi tali occasione serviens, ut qui scalam ascensionis erexerat nobis, eam ipse prior ascenderet; hic ego velut ex vinea meri uvam maturam eximia pinguedine ac fervore spiritus conspicuam carpsi, legique avide, et pro materiae dignitate et pro auctoris gratissima memoria. Successit postea nuncius alter, recte adhuc valere Ill/mam Celsitudinem Vram, quod nobis divinitas diuturnum faxit.

Ne frequenti interpellatione molestiam afferrem tot undequaque distracto negotiis Ecclesiae Catholicae, distuli usque ad acceptum benedictionis munus scribere, ut sic et rei finem significarem, et de impensa ope gratias agerem, sed nescio quo meo fato, ea ne nunc quidem (per oppositiones Episcopi) facta est.

Alterum erat propter quod differendum non existimavi dare hasce ad Ill/mam Celsitudinem Vram: verebar ne forte traductus essem, quod RR. Patribus Societatis contrarius essem, quibus ego semper tanquam Praeceptoribus meis affectus fui optime. Verum est quod cum peterent Seminarium Trudonense, non assenserim, ex causis justissimis (ut videbatur his, quorum mihi in hoc negotio utendum erat consilio) quoniam qui in illo hactenus praeerant et juventutem docebant, officio suo faciebant satis, et in hoc parvo oppido ejusque districtu, praeter novem pastoratus, septem sunt monasteria. Sed neque Patres constituta Seminario onera subire voluissent, qualia sunt docere cantum Gregorianum, deducere juventutem diebus festis ad ecclesiam S.Trudonis, et Sanctae Mariae Collegiatam, ad exequias et preces publicas.

/ Ad haec proventus Seminarii parvus, locus angustus et humidus; urge-
bant et alia propter quae id fieri non posse pro tempore videbatur.
Amore Dei rogo, ne quod in hac parte factum vel non factum malivo-
lentiae aut aversioni tribuatur; nam qui sub RR. Patribus Societatis,
5 potissimum R/mo Patre Lessio, parum quod habeo collegi, id illis
acceptum libenter habeo totique Societati me devinctissimum et add-
dictissimum profiteor. Hic jam Deum Omnipotentem oro R/mam et Ill/
mam Celsitudinem Vestram Ecclesiae Catholicae et nobis quàm diutis-
sime servet ac foelicitet. Octava Septembris anno 1615. Ex Sancto
10 Trudone.

R/mae atque Ill/mae Cel/nis Vrae

Devotissimus Cliens ac Servitor

Hubertus electus et confirm. Abbas S. Trudonis

(adresse):

15 Rev/mo atque Ill/mo Dño, Dño Roberto Bellarmino S.R.E. Car-
dinali, Dño ac Patrono suo Observ/mo.

Romam.

Franco per Mantua.